

I. N. S. S. T.  
APHORISMI PHILOLOGICI  
DE

CERTITUDI-  
NE LINGVÆ  
SACRÆ HEBRÆÆ,

quos,

SUFFRAGANTE

*Amp. in Academ. Aboënsi Philosophorum Collegio,*

Sub MODERAMINE

VIRI MAGNIFICI

HENRICI HASSEL,

ELOQU. PROFESS. REG. & ORDIN.

*exhibebit*

BENEDICTUS *FRÖDÖR* B. F.

NYLANDUS.

Ad diem ( si DEO videbitur ) XXIX. Junii

A:o MDCCXLV. Horis p. m. solitis.

---

ABOÆ, Excud. JOH. KLÄMPPE, Reg. Acad. Typogr.

L. M. S. E.  
APHORISMI PHILOLOGICI

DE  
CERTITUDINE  
IN LINGVA  
SACRAE HEBRAEAE


SCRIPTA A  
FRANCISCO  
FRANCO, PH.D.  
SACRAE THEOLOGIAE  
PROFESSORE

HENRICI HASSELLII  
ELOGII PROF. REG. & ORDIN.

AD  
BENEDICTUM PROPR. B. F.  
MAGISTRUM

AD BIEN. (AD BIEN. 1777) LUGD.  
AD BIEN. (AD BIEN. 1777) LUGD.

AD BIEN. (AD BIEN. 1777) LUGD.  
AD BIEN. (AD BIEN. 1777) LUGD.



*Aphor. I.*

**S**tudium lingvæ Hebrææ adeo est necessarium, ut absque illo certitudo Religionis consistere non possit. Hoc enim idiomate consignata sunt oracula Divina, ad quæ Christus & Apostoli provocarunt.

*Aphor. II.*

**D**atur omnino certitudo lingvæ Hebrææ. Ubi namque voces tanta multitudine ita dispositæ inveniuntur, ut sensum aptum & commodum fundant, qui certitudinem lingvæ non adgnoscent, ad manifestam usque stultitiam dubitant.

*Aphor. III.*

**Q**uod si concedamus, quemadmodum utique concedendum est, in Sacro Codice quædam dari loca, quorum sensus plene erui nequit; inde tamen ad universalem lingvæ obscuritatem, concludere non licet; quum plurima, & ea præsertim, quæ faciunt ad negotium salutis, admodum sint perspicua & certa.

*Aphor. V.*

**C**ertitudinem lingvæ Hebrææ multum illustrat  
notitia ejus conservatæ, ex Historia deducta.

*Aphor. VI.*

**L**ingva Hebræa est primigenia. Probant hoc va-  
riæ etymologiæ, quæ, ut claris expressæ  
verbis, non fictæ sed veræ sunt censendæ.

*Aphor. VII.*

**C**onstat linguam Hebræam puram & illibatam  
permansisse ad captivitatem Babylonicam, ubi  
aliquid peregrinæ alluvionis eidem accessit.

*Aphor. VIII.*

**L**ingva Chaldaica Biblica & Targumica non est  
lingva illa veterum Chaldæorum & Babyloni-  
orum; sed Neo-Hebræa, in captivitate, ex veteri  
Babylonica & Syriaca, cum Hebraica mixta, ita ta-  
men ut servet genium Hebrææ. Hebræam itaque  
Biblicam optime explicat hæc servitutis proles.

*Aphor. IX.*

**L**ingva Neo-Hebræa successu temporis abiit in  
Talmudicum; proinde illius in hæc, reman-  
et indoles.

*Aphor. X.*

**T**almudicorum lingua studio Rabbiorum in  
Rabbinicam transit, quæ ideo multum ex  
Tal-

Talmudismo retinet. Atque potest hodie Rabbinica feliciter disci Rabbiorum viva manu ductio-  
ne.

*Aphor. XI.*

**I**N omni ista varietate dialectorum, nihilominus, quæ essentiam linguæ Matris constituunt, integra persisterunt; prout semper erant, qui hanc intelligerent, ejusque cum S. Codice conservandæ, maximam haberent curam.

*Aphor. XII.*

**L**ingua Syriaca vel Maronitica non est vetus illa Syrorum, sed originem duxisse videtur ex Neo-Hebræa & Canaanæa post reditum populi e captivitate Babylonica.

*Aphor. XIII.*

**J**ostan Semi abnepos, ejusque filii, ut & Ismael cum propagine sua Arabiam occuparunt; ex quibus, populus Arabicus originem ducit, non vero a Chami posteris.

*Aphor. XIV.*

**J**ostanidæ & Ismaelitæ, quin longo temporis intervallo locuti sint hebraice, nullum omnino est dubium.

*Aphor. XV.*

**A**rabica lingua, matri simillima, ob fata propuli lætiora ad hodiernum usque diem optime excul-



culta floruit ; proinde eo amplior certiorque ejus est usus.

*Aphor. XVI.*

**O**Mnium linguarum Orientalium ad Hebræam addiscendam non propugnamus necessitatem. Sic enim vel sero nimis, vel nunquam Hebraismi cognitio obtineretur.

*Aphor. XVII.*

**Q**ui lingvæ Hebrææ, ex radicibus in aliis, quæ huic sunt affines, repertis, plurimum lucis fœnerari sibi videntur, hi multa agendo parum agunt. Nam ipsa vocis alicujus notio prius perspecta esse debet, quam de novi istius inventi cum ea convenientia constare poterit. Sin minus, quidlibet pro quolibet substituere pronum foret. Sed intellecta notione, cui usui est adventitia illa radix? De cætero, id lingvæ orientales cum Europæis habent commune, quod derivata sæpe a radicibus tantum abeant, ut ab his ad illa concludere admodum sit lubricum.

*Aphor. XVIII.*

**H**ypothesis de universali L. L. Harmonia, quo minus omnino sit rejicienda, varia obstant vastæ eruditionis virorum opera, E. g. Vaseri, Postelli, Crucigeri, Lampaghii, Qvicharti, Davisi, Wormii, Schindleri, Hottingeri, aliorumque, imprimis vero

vero Nobiliff. & Celeberr. Olavi Rudbeckii Filii: cuius lucubrationes nondum lucem viderunt publicam; quarum hæc singularis est dos, quod iis antiquitatis vestigia sic deteguntur, ut mutationis ac derivationis ratio, quantum fieri potest, perspiciatur. Verum pace tantorum virorum statuimus, hoc institutum neque certum neque periculi expertum videri. Quis enim ea est perspicacia, ut in rebus adeo dubiis, veritatem ab ingenii lusibus distingvere valeat

*Aphor. XFIII.*

**A**D penitiorem Hebrææ & S. codicis intelligentiam apprime necessarium est, varia in populo Hebræo instituta, ritus, mores & consuetudines probe novisse.

*Aphor. XIX.*

**F**ONS unde harum antiquitatum scientia est haberienda, primus, idemque purissimus ipse Sacer Codex jure censetur.

*Aphor. XX.*

**A**D idem institutum conferunt scripta Iudæorum recentioris ætatis, imprimis vero Talmudica, ubi cæremoniæ & ritus Judaici ex professo explicantur.

*Aphor. XXI.*

**I**N scrutinio lingvæ Hebrææ attendendum quoque est ad ingenium loci, ubi viguit, hominumque, quibus erat in usu; unde patebit, ab indole lingvarum Europæarum, eam in multis differre.

E. g.

8  
E.g. Orientales ut ardentiores, paucis frequenter comprehendunt, quæ Europæi vulgo pluribus expedire solent. Sunt etiam orientalibus voces & signa, adfectibus exprimendis intervientia, quæ desiderant Europæi, ut plures ejusmodi differentias prætermittam,

*Aphor. XXII.*

**T**AM quoad res, quam dicendi genus magna deprehenditur convenientia inter vetus & novum Testamentum; proinde mutua utriusque collatio ad utrumque intelligendum plurimum adfert momenti

*Aphor. XXIII.*

πολύσημα, & quæ contrarium significatum admittere videntur, hæc in contextu non ideo semper interpretationem reddunt dubium; nam, quæ voces, absolute spectatæ, sensum habent vagum, in serie & nexu cum aliis constitutæ, determinatum accipiant.

*Aphor. XXIV.*

**C**Appellus, & alii cum eo, qui LXX interpretatione, tot errorum dudum convicta, ad impugnandam S. codicis V. T. integritatem, abutuntur, suam omnino prædunt malitiam.

*Aphor. XXV.*

**V**ersiones Bibliorum Sacrorum quotquot sunt, non carent nævis

*Aphor. XXVI.*

**N**on concinnari potest versio, quæ sensum & emphasin sacri textus ubique exhauriat.

